



No. 143.

6.29.17 QK 23(17)



MAVRICIVS SAXO,

S. IMPERII ROMANO-GERMANICI SEPTEMVIR,
ECCLESIAE EVANGELICAE PVRIORIS IN GERMANIA
OBEX ET VINDEX.

**MEMORIAE
COMPOSITIONIS
PASSAVIENSIS
ET
PACIS AVGVSTANAЕ,**

QVAM DICVNT,

RELIGIONIS SACRVM ESSE VOLVIT,

OMNIVM ORDINVM

MAECENATES ET PATRONOS

AD
ANNIVERSARIAM SCHOLAE LVSTRATIONEM

CRASTINO DIE

PRAESENTIA SVA COHONESTANDAM,

EA,

QVAM SINGVLIS DEBET, OBSERVANTIA

INVITANS

IOANNES FRIDERICVS LICHT,

RECTOR SCHOLAE CATHEDRALIS SLESVICENSES.

FLENSBURGI ET ALTONAVIAE,

SVMTIBVS KORTIANIS, ANNO MDCCLV.

MARICIAS SAXO.

IMPERIIS ROMANO-GERMANICI SARTIMAVIS
EGCISIAE PLANCIPALIAE EKCIORIS IN GERMANIA
OCTO ET VINCER

MEMORIAE
COMPOSITIONIS
PASSAVERIS
PVCIS AEGASIANAE

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





Rara est felicitas
qua fruimur nos
quibus Deus O. M. has felicissimas sedes septentrionales adsignauit,
ab omnibus grata memoria recolenda,
sed a perpaucis pro dolor! reculta,
propterea quod felicitate diutina fruuntur.
Bona hominum pars tum demum sua intelligit bona,
quum, quae habuit, non habet.
Nos, inquam, terque quaterque beatos!
Contingit nobis,
utinam cunctis exteris gentibus contingat!
ut utamur Regibus optimis,
hoc est, prudentissimis, iustissimis, indulgentissimis,
piissimis,
tribus verbis,
Veris Patriae Patribus,
quibus parere est libertas optimumque eligendi potestas.

A 2

Horum

Horum suprema lex est Salus Publica :
 qua lege salua, salua est patria nostra.
 Omnia et singula Regum in nos merita
 numerando percensere non possum.

Innumera quis enumeret ?

Vnum instar omnium in praesentia non adferre non possum,
 Purioris Religionis studium.

In possessione Dei, summi boni, consistit
 uera hominis felicitas.

Insatiabilis est animus noster,
 nullis bonis terrenis, quippe fluxis, satiandus.

Inopia eorum parit laborem et dolorem ;
 copia uero mordaces curas maiorumque famem.

Pereuntibus iis tandem, uel ante, uel sub uitae finem,
 perit imaginaria felicitas,

in ueram degenerans infelicitatem.

Deus solus est omnis felicitatis nostrae stator,
 omniumque bonorum fons perennis.

Hunc qui habet,
 habet habentem omnia, ideoque omnia.

Maxima igitur nobis religionis fit cura,
 si quidem nobis ulla est salutis cura.

Coniungenda male disiunguntur.

Finem non uult, qui non uult subsidia, quibus obtinetur finis.

Nec salutis suae est cupidus parcus Dei cultor et infrequens,
 infantis sapientiae consultus.

Caelum et terram, Deum hominesque copulat religio ;
 sed uera, Christiana, Euangelica.

Floruit illa.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

in regnis Daniae et Noruagiae,
 in ducatibus Slesuici et Holsatiae,
 in comitatibus Oldenburgi et Delmenhorsti,
 ex quo CHRISTIANVS III, uere Christianus,
 Christo maluit, quam seruire Antichristo,
 decretoque regni ordinum facto,
 ciuib[us] cupientibus uerum falso praefferendi facultatem dedit.
 Floret illa adhuc,
 Augustissimo Rege nostro, FRIDERICO V,
 totius orbis christiani amore et deliciis,
 ad clauum reip. sacrae ac ciuilis sedente:
 Et florebit semper,
 dum DOMVS OLDENBVRGICA, alma Ecclesiae nutrix,
 id quod omnes ciues boni optant,
 qui se aliosque cupiunt esse saluos,
 salua florebit.
 Soli Deo debetur gloria,
 quo moderante,
 Principes pii religionis uerae rationem habent,
 et Ecclesia Euangelica manet sarta,
 non solum in his patriis finibus,
 sed etiam in multis exteris terris.
 Ne longius abeam,
 Confinis est nobis Germania,
 in qua, facem praefferente LVTHERO, duobus abhinc saeculis,
 discussis crassissimorum errorum tenebris,
 lux clarior doctrinae Christianae orta est,
 qua et nos collustrati sumus.
 Nostrum est,

A 3

fi,

Anno 1536.



si, qui debemus, cupimus esse grati,
Protestantibus Germaniae non minus,
quam nobis, de conseruata Ecclesia gratulari.

Tripli uiinculo eoque arctissimo
Humanitatis, Nexus Ciuilis et Sacrorum Communium
cum iis copulamur.

Vbi uero unio ibi est communio.

Homo sum,

inquit recte TERENTIANVS ille senex,
Humani nihil a me alienum puto.²
Interrogatus philosophus SOCRATES: cuias esset?

Mundanum se esse, respondit,
ciues suos quippe habens omnes homines
totiusque mundi incolas.³
Hominis est hominem, ciuius ciuem amare,
tamquam alterum se,
neque minorem ex alterius, quam ex suis, commodis
capere uoluptatem.

Quod tibi uis fieri, alteri feceris.
Nostra res agitur, paries quem proximus ardet.

Contagio uulgat morbos,
et uiciniam maxime peruadit.
Totum quem laeditur, laeduntur quoque partes.

Ducatum Holsatiae et utrumque comitatum
Oldenburi et Delmenhorsti,
Germaniae regiones,
eadem, quae cunctam Germaniam, manent fata,
sive prospera, sive aduersa.
Stantque caduntque simul.

Accedit

² TERENT. Heaut. I, 1. 25.

³ CIC. Tusc. V, 37.

Accedit tandem sacrorum societas,^⁹

quae plurimum valet, ^⁹

si quidem esse, quam uideri, malimus,

uere Christiani.

Constituit tota ecclesia uera unum corpus,
cuius caput est ipse Sospitator noster, Christus.

Multi sumus unum corpus in Christo,

inuicem alii aliorum membra.^⁴

Si dolet unum membrum :

una condolescunt cuncta membra.

Si in honore est unum membrum :
omnia membra congratulantur.^⁵

Christianorum, ut amicorum,
et bona et mala communia sunt inter se omnia.

Monente Paullo, Christi legato,

gaudendum est cum gaudentibus ;

plorandum est cum plorantibus.^⁶

Faciamus igitur libentes, lubentes,
quod nostrum est,

et quod in primis exigit hic annus,

Protestantibus, qui Germaniam incolunt, felicissimus.

Insignis est ille exoptatissima Pace Religiosa,
qua eis post uarios casus, post tot discrimina rerum
liberum sacrorum ius tandem concessum fuit.

Praecedens malum reddit gratius consequens bonum.

Dulcia non meminit, qui non gustauit amara.

Maris caelique temperiem turbines tempestatesque commendant.

Bona ualetudo est iucundior iis, qui e graui morbo
recreati sunt,

quam,

^⁴ Rom. XII, 5.

^⁵ 1 Cor. XII, 5.

^⁶ Rom. XII, 15.

VIII

quam, qui numquam aegro corpore fuerunt.
Quid? quod praeteriti doloris secura recordatio
habet delectationem.

Hinc iuuat, primo plorare cum plorantibus
et aduersam meminisse fortunam,
cum qua conflictandum fuit olim Germanis,
germanis nostris in Christo fratribus.

Deinde gaudentibus et plaudentibus iisdem
de libertate religionis gratulabimur et plaudemus.

Cuius uoti ut reddamur compotes,
M A V R I C I V M , S A X O N E M , G e r m a n i a e S e p t e m u r i u m ,
in theatrum producemos,
in uitam paullisper reuocatum.

Duplicem hic princeps egit personam,
^{dum vixit.}

Ecclesiae Euangelicae initio multum mali intulit;
postea plus boni fecit. ⁷

Eum primo uidebimus lugentes
in Germaniae, immo orbis Christiani scena,
Vt Ecclesiae Christiano - Euangelicae Obicem.

Fuit

⁷ Superuacaneum habeo historiam
notissimam testimoniis scriptorum confir-
mare. Sufficit commemorare autores,
quos securus sum, a lectore beneuolo, si
placet, euoluendos. Hi sunt **S L E I D A-**
N V S in Comment. de Statu Relig. et Reip.
C A R O L O V . C a e s a r e ; T H V A N V S in Hi-
storia sui temporis, P. I. Lib. I - XVI ;
Vit. **L V D . A S E C K E N D O R F** in Hist. Lu-
theranisimi, Frf. et Lips. a 1692; **G O D E-**
F R E D . A R N O L D V S in Hist. eccles. et
haeret. P. II. Lib. XVI. c. III. p. 631. sq.
edit. **S C A P H V S I A E** a 1740; **C H R I S T .**
S A L I G I V S in Hist. Aug. Confessionis Lib.
III. c. IV - VI. p. 561. sq.; **H E I N S I V S**
in Hist. Ecclef. V. et N. T. P. II. p. 220 sq.;
Vniuersale Lexicon Hist. et Geogr. Basil.
a. 1743. P. IV. p. 1116 sq. **B V R C .**
G O T T H . S T R V V I V S in Hist. Imperii
Germ. Period. X. Sect. IV. §. 72. sq. p.
663 sq.; **M E L C H . G O L D A S T V S** in den
Reichsahzungen P. I. p. 282. sq. P. II.

Fuit ille

HENRICI PII filius,

ALBERTI ANIMOSI nepos,

FRIDERICI PLACIDI pronepos,

FRIDERICI BELLICOSI abnepos,
abauit et aui, quam proauit et patris, similius,
ambitiosior, incertum, an uersutior et fortior.

Male coniiciebant,

eum ab armis fore aliquando alieniorem, praefagientes,
quod, eum puerum tardiorum esse, uidebant,
quum armis exerceretur.

Praecox ingeniorum genus non temere peruenit ad frugem.

Tenera sunt uirtutum principia:

Robur accedit tempore et usu.

Hic quidem plurimum ualet omnibus in rebus, tantumque ualet,
ut naturam ipsam vincat.

Naturae impedimenta diligentia sua ita superauit DEMOSTHENES,
qui ne primam quidem literam eius artis, cui studebat,
proferre poterat,
ut omnium oratorum Graecorum disertissimus exsisteret.

Immensum gloria calcar habet.

Interrogatus THEMISTOCLES

cur tam subito mutatus esset?

Miltiadis tropaea, inquit, me dormire non sinunt.

B

Ex-

p. 257; BALTH. KLAVTE in S. R. Imperii Legibus fundament. Pacificationibus
cet. Caffell. a. 1701. p. 83 sq. Reliquos
taceo. Conf. Joh. Erh. Kappens freudiges Andenken des den 25 Septemb. 1655
gefeierten ersten Religions-Friedens-Zu-

bel-Festes, Leipzig 1754, et, si tanti
est Commentatio nostra de Tribus Bene-
ficiis Insignioribus, a Deo in Ecclesiam
Euang. tempore Emendationis Sacrorum
Augustae Vind. benignissime collatis, pu-
blicata a. 1730.

Exstimulauit MAVRICIVM ambitio,
ut bello mallet inclarescere,
quam in pace fenescere.

Gloria maiorum fuit ei maximum incitamentum
ad nihil non audendum.

Per aspera ad astra.

Aude aliquid breuibus Gyaris et carcere dignum,
si uis esse aliquid.

Ambitiosis non est religio, quoduis admittere facimus.
Bonum illis uidetur omne, quantumuis malum,
dummodo fit gloriosum.

Dianae templum, illud mundi miraculum, xcccviij
incendit HERO STRATVS,
ut nominis sui memoria esset immortalis.

IVLIVS ille Caesar confessus est,
se per fas et nefas contendere ad imperium.

Hinc illud EVRIPIDIS semper in ore habuit:
Si uiolandum est ius, regnandi caufsa uiolandum est:
alii rebus pietatem colas.

Quam uerbis uultuque diffimulauit MAVRICIVS,
nimiam honoris opumque cupiditatem
uita factisque prodidit.

Fronti nulla fides.

Duro admodum initio pueritiae usus erat,
priusquam patri ipsius Saxonia
iure haereditario obueniret.

Facultatibus pro dignitate uiuendi destitutus,
primo uersatus est in aula ALBERTI,
patris purpurati et archiepiscopi Moguntini,
qui eum ordini sacro destinauerat.

Displicuit

Displicuit principi negotioſo otiosa uita.

Displicueritne ei quoque praeſulis huius aula,
quae fane pro tempore non erat Christi caula,
et exierit ea aula, quia uoluit esse pius,
haud facile dictu eſt.

A G E O R G I O , Saxone, patruo ſuo,
deinde uſtentatus fuit:

Senem hunc tristem non ferens adolescentis hilaris,
neque monitorem monitus,
contulit ſe ad I O A N N E M F R I D E R I C U M , Magnanimum,
qui propinquum benigne exceptit,
alienae opis indigentem liberaliter aluit,
et quaſi in finu fouit,
ſed, ut rusticus ille A E S O P I V S
anguem frigore fere enectum.

Diuinauit certe diuinus L V T H E R V S ,
qualis princeps ille euafurus eſſet, praedicens.

Etenim Electorem ex ſe quaerentem:
Quid de M A V R I C I O adolescentulo ſentiret?

præmonuit prudenter,
uideret, ne leonem in perniciem ſuam ipfe aleret.

Non uanum fuiffe hoc augurium,
exitus probauit, optimus magiſter.

Ex tenui M A V R I C I V S ſubito fit ditissimus,
A. M D XXXIX mortuo G E O R G I O , patruo,

et ſuccedente patre H E N R I C O ,
interieętoque biennio,

a patre relictas terras et opes ipfe consecutus.

Qui iam omnibus aliis,
iſi fibi ipfe non uidebatur beatus.

Ea, pro dolor! hominum est natura,
 ut, forte sua non contenti,
 maiores res cupiant, quam capiunt,
 instar hydroponici,
 cui, quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
 Vt TANTALVS mediis in aquis sitit:
 sic plurimi sunt maximas inter opes inopes.
 Quid tibi opus est diuitiis,
 quae te esfurire cogunt?
 quaerunt Scythae ex ALEXANDRO,
 iuuenie Pellaco,
 cui unus non sufficit orbis.
 Sic CAROLVS V, usus symbolo, Plus ultra,
 nihil esse sibi satis, declarauit,
 et si nouum mundum inuentum teneret,
 quem ALEXANDER quaerebat, uiuendum,
 ueterem nondum uicto, mortuus.
 Non minor in MAVRICIO fuit
 habendi et dominandi cupiditas.
 Creuit, ut fieri solet, cum imperio imperii amor.
 Gubernacula imperii capeſſiuit, annos uiginti natus.
 Iuuentus ipsa ambitioni alimenta ministravit.
 Aetas eius, nondum matura magnis rebus,
 abunde fuit sufficiens.
 Erat enim iuueni ſenilis prudentia,
 neque deerat animus uirilis
 et promptus ad exsequendum,
 quod decreuerat.
 Nam huius saeculi homines sunt in ſuo genere prudentiores,
 quam homines lucis.

⁸ Luc. XVI, 8.

Com-

Commodis suis illi omnia metientes,

follicitis computant articulis,

quid rationibus suis inferuiat.

Amicitias ipsas utilitate probant.

IVLIVS CAESAR, imperium adfectans,

POMPEIUM MAGNUM, qui Romae principatum tenebat,

summo studio sibi adiunxit,

per cuius casum ipse postea altissimum dignitatis gradum adscendit.

MAVRICIO, opes suas adacturo, nemo potior uisus est,

quam **CAROLVS V. Imperator**,

quo potentiores Germania post **CAROLVM M.** non habuit,

eiisque frater, **FERDINANDVS Caesar**.

Vtrumque sibi conciliauit obsequio,
et occidentem et orientem solem adorandum esse, ratus.

Quales habent consiliarios atque amicos,

tales plerique omnes sunt principes,
aut boni, aut mali.

Amicitia similes uel inuenit, uel facit.

Iustus et iniustus fuit **AHASVERVS**:

iniustus, quum **HAMANI**, Iudaici nominis inimicissimo;
iustus, quum **MARDOCHAEO**, Iudeo Iudeorumque patrono,
aures praeberet.

Aulicos **GEORGII** patrui,

a patre **HENRICO** munieribus orbatos,

quod Pontificiis fauebant,

MAVRICIVS, in pristinum dignitatis locum restitutos,
in amicorum numerum admisit.

Hos dum consuluit,

famee suae et Protestantium rebus male consultauit.

Horum de consilio Societati Smalcaldicae renuntiauit,

B 3 ut

XIII

ut esset extra societatem periculi, Protestantibus imminentis,
et ex eorum incommodis sua compararet commoda.

Quo se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.

Prudentiam alii, Rationem Status, alii sunt,
qui cum MACHIAVELLO dicant.

His iudicibus, honestum est, quod utile,
et quod libet, licet.

Iam pridem uera uocabula rerum amisimus.

Duce FERDINANDO, MAVRICIVS, in Pannonia contra Turcos
militavit:

sed, dum uirtute sua lauream referre studuit,
parum absuit, quin cupressum referret.

Periisset certe, nisi periisset fatelles,
eius uitam qui morte sua redemit.⁹

Sic MAVRICIVM e manibus Thracum,
quemadmodum ALEXANDRVM M. e manibus Oxydracarum
sive Mallorum eripuit fortuna,
ad maiores res utrumque destinans.

Redux in patriam,

CAROLO aduersus Gallos opem tulit,
eius opera obtenturus dignitatem electoralem,
cuius obtainenda spes ei in Conuentu Spirensi

A. MDXLIV clam facta est.

Caesar Borgia symbolum habuit:

Aut Caesar, aut Nihil.

MAVRICIO haud male tribuas illud:

Aut

⁹ Fuit ille nobilis quidam Lusatus,
IOANN. A REIPITSCH, Principi, qui,
confosso equo, in terram effusus erat, toto
corpo incumbens, donec aduenientibus in

subsidium suis, hostes pellerentur. REI-
PITSCHIUS, multis acceptis vulneribus, in
castra relatus, paullo post interierit. Vid. SE-
CKENDORFII Hist. Lutheran. Tom. II p. 386.

Aut Elector, aut Nihil.

Quid animo meditaretur,
et si ipse tacebat,

loquebatur sollemnis familiae eius uestitus.

Adornatus erat hic quatuor literis **V. G. M. A.**

i. e. Vielleicht Glücks Mir Auch.

Neque augorio suo fallebatur eius spes bona.

Biennio interiecto, uoti sui factus est compos,
contra omnium bonorum uotum
exardescente fatali bello Smalcaldico.

Id dudum egerat **CAROLVS**,

ab Antichristo Romano incitatus,

ut religionem Lutheranam h. e. puriorum Christianam funditus
exstirparet,

eiusque defensores, Duces Protestantium, armis grauissimis uinceret,
quos doctores Pontificii argumentis leuissimis uincere non poterant.

A. MD XVII. ueram Christi doctrinam e tenebris in lucem
reuocare,

et oracula diuina a commentis humanis repurgare cooperat

MARTINV LUTHERVS,

nomine et omni talis,

quippe Malleus Pontificiorum, ut **AMBROSIVS** Arianorum,
uel, si mauis, Bellator Dei, armis Spiritus usus contra arma carnis,
et purioris religionis studiosissimus.

Plurimis ille expositus periculis,
sub tutela trium principum electorum Saxoniae,

FRIDERICI Sapientis,

IOANNIS Constantis et Confessoris,

IOANNIS FRIDERICI Magnanimi,

uelut sub scuto Aiakis, vel uerius, Dei latebat,

omnis

XVI

omnis periculi expers.

Nil timet aduersi, quem seruat rector Olympi.
Amplexati erant hi principes cum nonnullis aliis,
quae eorum fuit pietas,
ueritatem Euangelicam.

Quam ut missam facerent,
h. e. caelum coeno postponerent,
tenebrasque magis diligenter, quam lucem,
neque prece, neque pretio,
neque blanditiis, neque minis
adduci potuerunt.

Obturarunt aures suas ad omnes conditiones,
uelut V L Y S S E S cautus ad Sirenum cantum.

Fistula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps.

Edicto ferali A. M D X X I X Spirae promulgato,

ut L V T H E R O omnibusque eius, i. e. Dei amicis,

quibus coelo interdici non poterat,
aqua et igni interdiceretur,
intercedentes;

adepti sunt nomen Protestantium,
quod illis non minori fuit gloriae,
quam ducibus Romanis agnomnia
de victis gentibus et regibus.

Iussi Confessionem fidei edere,
memores moniti Petrini,
parati erant ad reddendum spei suae rationem.¹⁰
Grauis malae conscientiae lux est.
Veritas non subterfugit lucem,
neque constantia periculum.

¹⁰ I Petr. III, 15.

In

In publico imperii concilio,

A. M D X X X Augustae Vindelicorum habito,
Imperatori, Principibus ordinibusque
exhibuerunt Confessionem Augustanam,
religionis Apostolicae compendium,
quaecum doctrina caelesti CHRISTI et Apostoli PETRI
concordabat,
sed a figuris humanis Pontificis Romani,
si Diis placet,
viciari CHRISTI
et successoris PETRI,
maxime discordabat.

Ita Confessores pii Deo dederunt, quae sunt Dei,
Imperatori dantes, quae sunt Imperatoris.

Recte facientes parum profecerunt,
immo crabrones irritauerunt.

Veritas parit odium.

Ipsum CHRISTVM eiusque discipulum genuinum STEPHANVM,
ueras dicentes,

Iudei lapidibus petierunt. ¹¹

Mira haec est refutandi ratio, sed usitata,
et ab inferno genio excogitata.

Facilius enim est,
recte sentientes pondere faxorum, quam uerborum,
refellere,

ore gladii, quam gladio oris, oppugnare.

CAROLVS et Pontificis adseclae, ueritatis impatiens,
hac methodo, minus demonstrativa, utentes,
Euangelio pestem nefarie moliebantur,

C

Prote-

¹¹ Ioann. VIII, 59. Aet. VII, 56.

XVIII

Protestantibus ferrum flammamque minitabantur.

Lege non scripta, sed nata,
omnem rationem expedienda salutis esse honestam,
si uita sua in infidias, ¹²
si in uim, si in tela inimicorum incidisset,
arbitrati Protestantes,
uim ui, arma armis defendere constituerunt.

Eo consilio A. M D X X X I Smalcaldiae foedus inierunt,
faepius renouatum:

cui Pontificii opposuerunt aliud,

A. M D X X X V I I Noribergae iustum,
recte dictum Sacrum i. e. Exscrabile.

Numquam deest impiis pios laedendi uoluntas, faepissimae deest facultas.

Homo proponit, Deus disponit.

Hoc moderante,
impeditus fuit CAROLVS,
quo minus acerbitatis suae ~~uirus~~ in Foederatos
Smalcaldicos euumeret.

Nuntius, de irruptione Philistinorum in Iudeam
praeter opinionem adlatus,

Saulo non promisit, DAVIDEM eiusque socios
comprehendere et occidere,

quos iam infidiis circumuentos tenebat. ¹³

Bella cum Turcis, Christianorum hostibus,
cum aemulo imperii, FRANCISCO I.

pluribusque, ipsis Pontificiis,

CAROLVM ita exercebant,
ut, quod cupiebat, ueris CHRISTI alumnis bellum
inferre non posset.

Quod

¹² Cic. pro Milone c. IV.

¹³ I Sam. XXIII, 26. sq.

Quod distulit, non abstulit.

~~Tarditatem~~ grauitate compenfauit, ^{superius}

Violentior et incitatior fertur fluuus,
qui diu coercitus oppositas moles rumpit,
quam qui libero cursu meat.

In rabiem uertitur ira,
quum, pectore diu pressa, tandem exaestuat.

Iam sua sponte furens CAROLVS,
sed ab eodem, qui DAVIDEM ad numerandum populum impubis,

magis instigatus, ¹⁴

bellum compostit cum Gallis,

a quibus multis adfectus erat iniuriis,

ut bellum faceret Protestantibus,

a quibus nulla laceffitus erat iniuria:

nisi iniuriam cum eo dixeris,

malle Deo obedire, quam Imperatori,

CHRISTO credere, quam Antichristo.

In ipso belli apparatu

A. MD XLVI quidquid mortale habebat, deposuit LUTHERVS,
meritis suis in Ecclesiam immortalis factus,

eundemque pietatis suae tulit fructum,

quem instaurator facrorum, pius IOSIAS, ¹⁵

ut calamitatem impendentem non uideret,

Dissuaserat ille bellum religionis cauſa gerendum,

Deoque cauſam suam tradendam suaferat,

non minus prudenter, quam pie.

Quid? quod idem, quoad uixit,

precibus repulit aduersariorum arma,

quae armis repellere non potuerunt Protestantes.

C 2

Hi,

¹⁴ Paralip. XX, 1. ¹⁵ 2 Paralip. XXXIV, 28.

Hi, se peti videntes,
suisque uiribus magis fisi, quam Dei auxilio,
(en! ad tempus infirmam fidelium fidem)
praeoccupare CAROLVM maluerunt,
quam ab eo occupari.

Non bene geritur bellum multorum imperio.
Multitudo imperatorum Cariam perdidisse dicitur.
Protestantium tot fere erant sensus, quod ducum capita.
Quum non in commune consuleretur;
concordia discors consilia discussit.
Non dimittendum esse tempus rei gerendae,
ut ostenderent ueteres,

Occasionem finixerunt fronte capillatam, posticam caluam.

Qua non usi Protestantes,
CAROLO dabant tempus,
ingentes copias, quas dispersas habebat, in unum cogendi locum.
Neque tamen uiribus magis, quam dolo, bellandum esse,
Imperator sibi persuasit.

Divide et impera.
Regula haec est, quam praeſcribit prudentia ciuilis,
quamque sexcentis exemplis probatam usus commendat.
Hanc memoria tenens, CAROLVS,
sollicitauit MAVRICIVM, uel ab eo ex pacto postulauit,
ut, distinenda manus caufa,
IOANNIS FRIDERICI, Electoris, arcta cognatione coniuncti,
fines cum infesto exercitu ingrederetur,
eumque et ficerum suum PHILIPPVM MAGNANIMVM
bello adgrederetur.
Vere cecinit OVIDIVS:
Non hospes ab hospite tutus,

Non

Non sacer a genero: fratum quoque gratia rara.¹⁶
 Ad bellum discedens IOANNES FRIDERICVS,
 MAVRICIO commendauerat terras suas.
 Lupo commisit oues: immisit fontibus aprum.
 Quas urbes tueri debuit MAVRICIVS amicus,
 eas inuasit inimicus.
 Male facere qui uult,
 nusquam non caussam inuenit.
 Quam facile sit, fictis caussis innocentes opprimere,
 docet fabula de lupo et agno,
 qui ad eundem riuum uenerant, siti compulsi.
 Neque MAVRICIO defuit praetextus.
 Plus apud eum ualuerunt offensiunculae,
 et controuersiae inter utrumque olim enatae,
 sed sopitae,
 quam maxima beneficia,
 ab IOANNE FRIDERICO in ipsum et in patrem collata.
 Ingrati quippe animi est,
 unius iniuriae uel putatitiae meminisse,
 beneficiorum plurimorum obliuisci,
 quorum memoria debet esse immortalis.
 Occupauit propinquas propinqui terras,
 ne ab alienis occuparentur,
 sed eas iusto domino non redditurus,
 nisi cogeretur.
 Haec fuit species iuris, aut, si maius, iniuriae titulus.
 Vera caussa fuit odor lucri, ex re qualibet bonus,
 et occasio augendarum opum.
 Quaerenda potentia primum: ius post opes.

C 3

Reuo-

¹⁶ Metamorph. Lib. I, 144 sq.

XXII

Reuocatus ad defendendam patriam IOANNES FRIDERICVS,
urbes suas amissas recuperauit,

et MAVRICIVM omnibus suis exuit, alienis inhiantem.

Saepe hoc usu uenit mortalibus,

ut, dum incerta petunt, certa amittant,

uelut canis apud AESOPVM,

quum umbram appeteret,

carnem, quam ore ferebat, perdidit.

Non licuit IOANNI FRIDERICO diu esse felici

per fortunam,

quippe quae tantum in leuitate sua constans esse confueuit.

Haec quem paullo ante extulerat,

sabato subito demergere adorta est.

A CAROLO, adiutore MAVRICIO,

ad Muehlbergam oppressus, aperto Marte uictus, captus est.

Non meliorem fortunam habuit PHILIPPVS MAGNANIMVS,
Hessus, alter Protestantium dux,

Graniellani tecta arte deceptus.

Quum supplex uenisset ad Imperatorem,

contra datam fidem in custodiam datus est.

O quantum CAROLVS nunc distabat ab illo CAROLO,

qui Wormatiae, monentibus amicis,

datam LVTHERO haeretico fidem non esse seruandam,
negauit, Imperatoris esse, fidem fallere!

Sed tum fortuna se animo eius nondum infuderat.

Ideo eam orientem moderate tulit:

ad ultimum eius magnitudinem non cepit.

Ita fuit tristissimus belli Smalcaldici exitus.

Optima cauſa ceciderunt Protestantes:

pessimam obtinuerunt Pontificii.

Hic

Hic solet esse euentus,
 quum iniustum ius dicitur armis.
 Actum esse uidebatur de Ecclesiae Euangelica.
M A V R I C I U S, eam qui maxime euerterat,
 nauatae operae praemium tulit,
 Dignitatem Electoralem, **IOANNI FRIDERICO** ademtam.
 Incertum, eam utrum hic aequiore animo amiserit,
 an laetiore ille acceperit.
 Certe gauisum esse, constat, **IOANNEM FRIDERICVM**,
 quod dignus habitus esset,
 qui propter nomen **CHRISTI** iniuria et ignominia adficeretur.
 Ecce Christianum, quasi dolentem, et tamen semper gaudentem! ¹⁷
 Silent leges inter arma:
 nec bene conueniunt maiestas imperiosa et aequitas.
CAROLVS, A. M D XLVII indicto **A V G V S T A E** Vindelicorum
 concilio armato,
 Protestantes, Patrum Tridentinorum decreta probare,
 h. e. in hominum, qui aut fallunt, aut falluntur, uerba iurare iussit.
 Ecce Pontificiorum Papocaeafaria!
 Quid? quod ipse Formulam quandam doctrinae,
 cui Interim fuit nomen,
 omnibus praescripsit obseruandam,
 donec synodi Tridentinae decreta publicarentur.
 Ecce falsorum Politicorum Caesaropapia! Hobbesianismus
 ante **H O B B E S I V M**!
 Formulam fallacem quum multi metu Imperatoris admitterent,
 qui sui erant iuris;
 captiuus **IOANNES FRIDERICVS**
 princeps omnium recusauit,
 neque

¹⁷ 2 Cor. VI, 10.

neque minis expugnabilis,

neque precibus exorabilis,

victus de victore triumphans.

Iustum et tenacem propositi virum

Non ciuium ardor prava iubentium,

Non uultus instantis tyranni

Mente quatit solidam.

Si fractus illabatur orbis,

Impavidum ferient ruinae.¹⁸

Spectauimus adhuc MAVRICIVM, Saxonem,

CAROLI V. socium,

Protestantem Protestantes oppugnantem,

Ecclesiae Euangelicae purioris Obicem.

Prodit nunc in scenam idem, sed non idem.

Mutata enim persona,

agit CAROLI V. hostem.

Auxilio Regis Pontificii Protestantes propugnat,

Ecclesiae Euangelicae Vindex Acerrimus.

TELEPHVS, HERCVLIS filius,

in pugna quadam ACHILLIS hasta percussus,

quum ab APOLLINE peteret fortem,

quod esset remedium?

responsum tulisse dicitur,

ei neminem mederi posse,

nisi eandem hastam, qua vulneratus erat.¹⁹

Quidquid id est,

quod de ACHILLE fabulati sunt poëtae,

hoc bene quadrat in MAVRICIVM,

qui, a Deo subito mutatus,

vulnera,

¹⁸ HORAT. Lib. III. od. 3.

¹⁹ HYGINVS fab. 99. 100.

vulnera, quae Protestantibus fecerat, sanauit.

A Deo, inquam, mutatus.

Si proprie loquendum est,

Deus occidit, et in uitam reuocat:

dimittit in orcum, et extrahit,

depauperat, et ditat,

deprimit et euehit.²⁰

Quod nemo mortalium potest,

solus Deus potest immortalis,

animos hominum ita commutare,

ut a se ipse deficiant,

alia, atque antea, sentientes.

Atquae unda animus regis est in manu Iouae:

eum, quocumque libet, inclinat.²¹

PHARAO, rex Aegypti potentissimus,

uel uerius tyrannus Busiride immanior,

uiolato iure hospitii, apud omnes gentes sanctissimo,

Israelitas, durissima feruitute oppressos,

dimittere noluerat,

Regis regum imperium detrectans.

Huius potentiore manu urgente coactus,

in mitius conuersis consiliis,

ab Israelitis supplex petuit,

ut, nulla interposita mora, Aegypto exirent.²²

Flagellum Iudeorum,

Superbissimus ille Babyloniae rex, Nabuchodonosor,

Deastrorum cultor,

immo, qui praeter se neminem credidit Deum,

D

id

²⁰ 1 Sam. II, 6.

²¹ Proverb. XXI, 1.

²² Exod. V, fqq.

XXVI

id est, immortalem, mortalitatis suae oblitus,
mox trium Iudeorum constantia motus,
non modo Iehouam ipse colere coepit,
sed etiam ab omnibus ciuibus suis coli iussit. ²³
Cognouerat, nihil esse, quod facere non possit Deus,
eoque uolente,
ignem ceteraque elementa uim suam dimittere,
si piis ita conueniat.
Premitur quidem ecclesia, sed non opprimitur:
quemadmodum palma arbor sub grauiore onere
subsidit, non frangitur.
Latius emittit sol radios suos,
ad tempus nubibus atris conditus, qui latuit.
Nauis, quae ueros Christianos uehit,
in mari procelloso iactata non submergitur,
sed optatum portum tandem attingit.
Clavum tenet custos Israelis, qui neque dormitat, neque dormit.
Clade Muehlbergensi, uelut graui ictu perculsa,
Ecclesia uidebatur prostrata.
Aduersarii certe, eam tot tantisque, crediderunt,
esse demersam malis,
ex illis ut haud facile se emergeret.
Triumphum caneabant ante uictoriam.
Duo propugnatores,
eam qui frustra liberare uoluerant liberi,
non poterant capti.
Ceteris principibus Euangelicis
numenta erant documenta.

Caput

²³ Daniel. Cap. III.

Caput subdere ruinae et aduersus stimulum calcitrare, insania
uidebatur.

Qui laborantibus opem ferre poterat,
MAVRICIVS aut noluit, aut non ausus est,
sine impietate se pium non fore, animaduertens.

Beneficium accipere est libertatem uendere,

h. e. aurum cum plumbo mutare.
Viscata et hamata sunt, ut uerum fateamur,
pleraque potentiorum munera,
et quasi species innominatorum contractuum:

Do, ut des,

Facio, ut facias,

Do, ut facias,

Facio, ut des.

Obiecerat CAROLVS MAVRICIO bolum,
ut fur cani apud AESOPVM,
ne latraret.

Translata in eum dignitate electorali,
tanto eum fibi obstrinxerat merito,
ut uideretur ingratus,
quo nihil peius terra alit,
nisi idem uellet, idem nollet.

Sed MAVRICIVS,
CAROLI malefacta benefactis maiora cernens,
horum memoriam depofuit, illorum retinuit.

Vsque ad aras amicus.

Pro capto focero gener diu deprecatus,
furdas aures pulsauit.

Sumferat sibi CAROLVS tantos spiritus,

D 2

ut

XXVIII

ut intolerabilis esset.
O quanta est saepe potentissimorum principum
impotentia!
Imperator potentissimus sibi imperare
non poterat.
Tot hostium uictor se ipse uincere non ualuit.
Grauiissimus enim est hostis,
qui sub pectore latet.
Famae suae ac saluti CAROLVS melius consuluisset,
si animum uicisset,
iracundiam cohibuisset,
uictoriam temperasset,
aduersarios iacentes et supplices extulisset.
Non minor est uirtus parcere deuictis,
quam debellare superbos.
Inuictus est dicendus, a quo ipsius uictoriae conditio usque
deuicta est. ²⁴
Succubuit CAROLVS superbiae et irae,
malis quippe inuictis,
secunda fortuna elatus,
neque rerum uicissitudinem metuens.
Implacabilem fese praebuit principibus captis,
quos secum duxit in triumpho,
quasi de tota Germania triumpharet.
Velut e tripode dictum,
Formulam Interimisticam omnibus obtrusit.
Ut conscientiae, sic libertati Germanorum insidiatus est.
Traditur IVLIVS CAESAR Gallos Romanorum armis,

Romanos

²⁴ CIC. pro MARCELLO Cap. IV.

Romanos Gallorum pecunia uicisse.

CAROLVS Germaniam Germanica pecunia conductis
Hispanis aliisque militibus peregrinis oppugnauit,
et praetextu religionis, ut cuniculis,
libertatem, uita ipsa cariorem, subruit.

Olfecit eius consilium MAVRICIVS,

emunctae naris princeps,

Fecit igitur, quod suum erat,
et periculum periculo depellere statuit;
Ecclesiae iuxta ac reip. pericitanti
opem latus.

Imperium capeſſens TRAIANVS, cognomine Optimus,
praefecto praetorio tradidit gladium:
quo, si bene imperaret, pro fe;
si male, contra fe uteretur.

MAVRICIVS, imperii Rom. Enſifer,
in Imperatorem, iniuste imperantem,
enſem, quem in ſollemni pompa ei praeferre confueuerat,
iuste stringendum,
aleamque, utcumque caderet, iaciendam eſſe, censuit.

Cum CAROLO,

h. e. cum callidiflmo et potentiflmo hoste,
cui et consilium domi, et arma foris erant,
rem fibi fore,
paucis, HERCVLI clauam extorquendam eſſe,
cognitum habuit.

Hinc dolum dolo, opes opibus oppofuit.
Imprudentia CAROLI armauit fe prudens.

Magnas habebat copias,

D 3

quibus

quibus pro CAROLO dimicauerat:
 Maiores in dies comparauit,
 quibus contra eundem dimicaturus erat.
 Quid? quod Imperator ipse eum contra se armavit,
 eique gladium dedit,
 quo ipsum iugularet,
 eum, obsidere Parthenopolin proscriptam,
 quod sibi dicto audiens non esset,
 neque Sphinga Augustanam admireret,
 h. e. quod nihil faceret, quod saluo officio facere non posset,
 copiasque suas augere, iubens.
 Quantopere humanos animos occaecat fortuna!
 Obsedit urbem MAVRICIVS;
 sed ut liberaret.
 Haesit diu in obsidione; sed data opera.
 Obsessam tandem, quum uisum est, cepit;
 sed ne caperetur.
 Aequissimis pactionibus in fidem acceptam
 suis praefidiis firmavit,
 ne in potestatem Imperatoris ueniret,
 id est, ne funditus periret.
 Libera Sueviae ciuitas, Constantia,
 ob constantiam suam nuper libertate priuata,
 documentum erat omnibus,
 non melius sibi prospicere Protestantes,
 qui Imperatoris arbitrio se permitterent,
 quam columbae sibi prospexerant,
 quum accipitrem regem eligerent contra milium,
 Quos conseruatos MAVRICIVS beneficio sibi satis obstrinxerat,
 Magde-

Magdeburgensium milites,
eos sacramento sibi magis obstrinxit,
amicos habiturus, quos expertus erat inimicos.

Tantam manum ut ad manum haberet,
cam in finitima Thuringia in hibernis collocauit,
stipendium ei prius soluendum esse, caussatus,
quam sacramento solueretur.

Vis unita fortior.

Ne HERCVLES quidem contra duo.

Ideo adiunxit sibi MAVRICIVS, quos potuit, socios,
capti Landgrauii filios, Megalopolitanum,
BARVTHINVM ALBERTVM aliosque, idem sentientes
ducemque quaerentes.

Colophonem rei additurus,
cum HENRICO II. rege Galliae fecit societatem,
ut uno eodemque tempore adgredetur Imperatorem,
hunc, ut singulis superiorem,
ita cunctis inferiorem fore, praevidens.

Sua sponte currenti equo calcaria, oleum camino addidit.

Perfacile erat, persuadere Gallo,
qui a patre FRANCISCO odium erga CAROLVM,
ut HANNIBAL ab Hamilcare erga Romanos,
haereditate relictum acceperat.

Quam parata est ingeniis humanis simulatio !
In apparando bello quum acerrime esset occupatus,
CAROLI amicissimum pacisque studiosissimum
se simulauit MAVRICIVS,
mirus simulandi et dissimulandi artifex,
seculi fui TIBERIVS, et alter PROTEVS.

Ipsum

XXXII

Ipsum GRANVELLAM, CAROLI AHITOPHELEM,
Argo oculatiorem, ita fefellit,

ut, talpa caecior, quod uidebat, non uideret,
et, quod nemo dubitabat paullo prudentior, non crederet,
unus omnium, ut sibi uidebatur, prudentissimus:
Clandestina confilia, dictitauit praesul, conuenire
ebriosis et barbaris Germanis. Scilicet!

Sed nonnumquam bonus dormitat HOMERVS.

Sero sapiunt non raro, qui sibi sapiunt.

Sic captus fuit, quum cauisse ratus esset cautor GRANVELLA,
in quem quadrat illud, nescio cuius:

Non audet stygius PLVTO tentare, quod audet
Effraenis monachus plenaque fraudis anus.

Par pari retulit MAVRICIVS,

Cretensem egit cum Cretensi,

cum vulpe uulpinatus est,

set sycophantae imposuit,

qui ipsum sacerumque suum ductu literarum deceperat.

Vt huic, sic CAROLO fucum fecit,
nihil faciens, inconsultis duobus confiliariis,
a quibus confilia sua Imperatori prodi, nouerat.
Sed Imperator omnia dum rescivit, omnia nesciuit.

Etenim MAVRICIVS aliud in lingua promtum,

aliud in pectore clausum habens

quod uoluit, noluit; noluit, quod uoluit.

Tridentum misit legatos suos,

quasi non abhorrens a decretis patrum,
quos, ceu patrem mendaciorum, cacodaemonem,
oderat.

Augustae

AUGVSTAE Vindelicorum conduxit domum,
eoque ad AVGVSTVM fese uenturum esse, promisit.

Promissis suis stetit.

Venit paullo post,

sed alius, ac sperabatur.

Venit armatus, cum inermi congressurus.

Hostili animo et infestis signis,

Imperatorem, nihil hostile metuentem,

ideoque imparatum paratus petit, offendit, opprimit.

Quidquid est obuium,

instar fulminis prostrernit.

Inuia uirtuti nulla est via,

Neque ullus contra fortunam inexpugnabilis murus.

MAVRICIVS, qui uirtutem cum fortuna aequat, uelut alter HERCVLES GRAIVS et HANNIBAL POENVS,

Alpes inuicias patefacit.

Expugnato inexpugnabili castro EHRENBERG,

in faucibus earum sito, tantum iniicit Imperatori timorem,

ut nocte intempesta ille ab Aeniponte fugiens,

paucis comitantibus, Villacum Carnorum peteret:

quemadmodum olim XERXES,

terror ante omnium gentium,

qui totam Graeciam innumeris copiis inundauerat,

maria pontibus constrauerat,

montes perfoderat,

flumina cum suis exhauserat,

a Graecis fugatus,

trepidus in cymba piscatoria Hellespontem traecit,

E

ut

XXXIII

ut imminens periculum effugeret.
En subita et mirabilis rerum uicissitudo!
Terror fuit ille non Panicus,
quem ueteres fabulantur,
sed diuinus, qui CAROLVM inuasit:
qualis iniectus est Cananitis,
quum HERCVLES IVDAICVS, Iosva, Israelitas in fines
Palaestinae duceret.

Quod omnibus mirabile uisum est,
MAVRICIVS, CAROLVM inuictum uinci posse, primus docuit,
ut, Ensis ille Romanorum, M. CLAVDIVS MARCELLVS
HANNIBALEM.

Ne multa,
Quod IVLIVS CAESAR, de Pharnace triumphans, olim dixit,
MAVRICIVS uenit, uidit, uicit.

Socius eius, ALBERTVS BYRVTHENSIUS,
uerus Martis alumnus,
ad Rhenum et in Franconia omnia igni ferroque uastans,
dum iniurias vindicauit,
ipse factus est iniurius.

Lotharingiam ingressus,
Gallus, Aquilae uictor,
Metim, Tullum et Virodunum cepit.
Plura Germaniae oppida ditionis suae fecisset
bonus ille Germaniae defensor et libertatis uindex,
quo nomine superbiebat,
honesta praescriptione turpisimum priuatae utilitatis studium tegens:
nisi bellum mature compositum fuisset.

Passauii A. M D L I I pax restituta fuit.

Scilicet

Scilicet eo rerum uentum erat,
ut CAROLVS, qui antea uictor uictis Protestantibus
iniquissimas leges dederat,
nunc uictus aequissimas, a uictoribus praescriptas,
accipere cogeretur.

Posita sunt a belligerantibus arma.

Quid salutarius, quam ab armis discedere,
parta pace honestae, propter quam arma sumta sunt?

Belluarum est, bella ex bellis ferere.

Paci honestae, quae nihil habet infidiarum,
semper est consulendum.

Custodia liberati sunt IOANNES FRIDERICVS, Saxo
et PHILIPPVS Hessus,
uterque Magnanimus et captiuitate maior.

Quid aequius,

quam innocentibus non nocere,

milerorum misereri,

iniusto bello captos dimittere?

Protestantium religioni et Germaniae libertati
cautum est.

Quid est iustius,

quam suum cuique tribuere?

Prima haec dicitur iuris regula,

aut uerius, totius iuris complexio.

Tyrannicum est, aliis libertatem eripere,
nullo auro uenalem:

plus, quam tyrannicum, damnare, qui errores dominant,
eosque proscribere,

qui falsae nostrae de Deo opinioni non subscribunt.

E 2

Seruitus

XXXVI

Seruitus uiro forti est morte grauior.
Religio uult persuaderi, non cogi
Aequissimus igitur conditionibus sancta Pax Passauiensis,
in intericto triennio,
in Comitiis Augstantis sollemnissime confirmata fuit.

Non potuit MAVRICIVS per fatum,
otio, quod Protestantibus fecerat, ipse diu frui.
Officio suo sibi offecit,
et instar candelae aliis inferiendo consumtus est.

Pacaturus Germaniam,
Praelio aduersus ALBERTVM BRANDEBVRGICVM,
principem maximi animi, sed pacis impacientem,
ad Siuershusam A. M D L III habitu
victor ex vulnere decepsit, anno imperii duodecimo, uitae tricesimo secundo,

ALEXANDRO MAGNO,

qui totidem fere annos uixit et imperauit,
neque animo, neque consilio, neque meritis minor.
Nam ALEXANDER aliis gentibus iugum opposuit;

MAVRICIVS ciuibus suis detrxxit,
de Germania immortaliter meritus,
et ecclesiae purioris et libertatis Vindex acerrimus dicendus.
Graeci ALEXANDRO M. ob res pro salute Graeciae
et libertate gestas

coronam auream, donum uictoriae, dederunt.
Roma Patrem Patriae CICERONEM libera dixit,
eius opera liberata.

Seruati ciuis praemium erat apud Romanos Corona ciuica.
Dignissimus est MAVRICIVS,

cui

cui ob liberatam Germaniam nomen Patris Patriae detur,
et ob seruatam Ecclesiam laurea dicetur
numquam marcescens.

Excidat animis Protestantum iniuria ante facta:
Haereat contra eorum in mentibus immortale eius
in ipsos meritum,
et, nisi humanitatem exuent, haerebit,
donec ecclesia Euangelica erit salua.

Beneficiis magnis maiora addidisset MAVRICIVS,
mortalium rebus si diutius interfuerisset.

Quod ei non licuit,
perfecit AVGVSTVS, eius successor,
fratris sui simillimus, et dissimillimus:
Dissimillimus, pacis quippe amantior, quam belli,
qui ciues seruare maluit, quam hostes perdere;
Simillimus, Ecclesiae Euangelicae et libertatis Germaniae
cupidillimus.

Huius studio et labore

Pax, quae dicitur Religionis, A. M D L V

Augustae duobus abhinc saeculis conciliata fuit,
qua nihil optatus Protestantibus obtingere potuit.
Conditiones eius sunt eadem, quae Pacificationis Passauensis,
aequissimae, et ita explicatae,
ut calumniis Pontificiorum nihil loci relictum sit.

O Augustum Germaniae nomen AVGVSTI,
ficut Daniae nomen CHRISTIANI III.

O nobile par principum!
Dignum socero generum!

XXXVII

Ecclesia purior
Socero in Dania, in Germania genero
liberum ius sacrorum acceptum refert,
semperque referet, immortali beneficio obstricta.
Qui caelum terramque moderatur,
utrumque destinauerat, ut laboranti ecclesiae succurreret:
sicut Cyrus, primum Persarum regem,
ut, expugnata Babylone, Iudeos, custodia liberatos,
domum remitteret:
et CONSTANTINVM M. ut Christianos, tria saecula uexatos,
recrearet, princeps Imperatorum sacra eorum professus.
Bonis mala saepe eueniunt, ut iis mala fortiter perpestis
bene sit.
Magnos aduersa probant, ut aurum ignis.
Post nubila Phoebus.
Cadit et iniustus et iustus:
hic, ut surgat; ille, ut iaceat. ²⁵
Deo pii cura sunt.
Habet ille suis moras et horas.
Noachum in mediis aquis seruauit cum suis, toto humano
genere deleto.
Quum duplicantur lateres, uenit MOSES,
qui Israelitas fine ferro ex Aegypto,
et per mare rubrum siccо pede ducit.
Sic Deus cultoribus suis, omni praefidio destitutis,
fatis est praefidii solus.
Gratum animum postulat haec eius gratia.
Sacrifica Deo gratiis agendis. ²⁶

Testum

²⁵ Proverb. XXIV, 16.

²⁶ Psal. L, 14.

XXXVIII

Testum tempus quotannis uoluit esse ecclesia Iudaica,
quo ex seruitute Aegyptiaca in libertatem vindicata est.

Nostrum est, sacrum saeculare celebrare,

quod ante duo saecula, ^{en bono et in spiritu}
excusso iugo Pontificio,

Ecclesiae Christianae ius, religionem a B. LVTHERO emendatam,
impune profitandi concessum est, iniquissime antea negatum.

Nostrum est, Deo tanto pro beneficio maximas agere

et habere gratias,

eique dies noctesque supplicare, id ut perpetuum esse iubeat.

Neque est, id quod dubitemus,

eum si, nullo operum nostrorum merito freti, solo merito

CHRISTI propitiemus,

propitiatum rite colamus, uereamur, amemus,

in eoque fiduciam positam habeamus.

Ecclesiam ueram seruare et uult, et potest, et debet.

Vult, quippe Optimus, bonorum studiosissimus.

Bene facere eius est proprium, ut inferni genii malefacere.

Potest, ut sapientissimus, idemque potentissimus.

Solus est sapiens, et, quid suis expedit, nouit.

Nihil uero est, quod ille efficere non quaeat.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Non est denique, quod de eius ope dubitemus.

Non cadit in bonum uirum mentiri, nedum in Deum optimum.

Veracissimus fidem datam non fallit.

En dextra fidesque.

Ecclesiam portae orci non superabunt. ²⁷

Deus nobis fiducia et robur est,

prae-

²⁷ Matth. XVI, 18.



XXXXX

praesidium rebus in aduersis praesentissimum.


³⁰ Itaque non metuemus, licet terra moueatur,^{cap}
et montes in medium mare transferantur:
tantaque tempestate turbentur maris undae,
ut ad eius aeftus montes contremiscant.

Diuinam quidem urbem, sacrum supremi domicilium,
^{Bocel} suis delectabit annis fluuii.
Quae (quum in ea ueretur Deus) non commouebitur,
Deo ei mature succurrente.

Tumultuentes gentes,
regna concitentur,
etiam clat ibi illo uocem emitente,
tellus ipsa colliquescat.

Ioua nobis armipotens adest,
nobis munimento est Deus Iacoborum. Sela.

³⁸ Psal. XLVI.



31 IVX dñeM V

Errata typographica potiora.

Pag.	7	u.	4	lege ueri
—	15	u.	22	l. Athanasius
—	16	u.	26	l. reddendam
—	17	u.	6	l. quae cum
—	—	u.	10	l. uicarii
—	18	u.	21	l. permisit
—	19	u.	9	l. impulit
—	20	u.	8	l. quot
—	22	u.	ult.	l. pessimam
—	23	u.	3	l. Ecclesia
—	24	u.	18	l. Euangelicae
—	25	u.	13	l. Aquae
—	32	u.	6	l. non conuenire
—	—	u.	17	del. set
—	33	u.	ult.	l. Hellespontum
—	35	u.	8	l. honesta
—	36	u.	3	l. Aequissimis
—	—	u.	19	l. imposuit
—	37	u.	22	l. eaedem
—	39	u.	1	l. Festum
—	40	u.	9	l. succurrente
—	—	u.	10	l. Tumultuentur
—	3	post uer. sext.	deest uer. Quotidiana pilescunt.	

In Orthographia emendanda sunt

Pag.	10	u.	26	lege hereditario
—	18	u.	13	l. saepissime
—	26	u.	2	l. Iudaeorum
—	31	u.	23	l. hereditate
—	—	u.	ult.	l. saeculi
—	36	u.	12	l. impatientem
—	39	u.	21	l. queat.

Pro v minori scribatur ubique u.

hc

Ko 2777 ok

(X2298523)



Farbkarte #13



MAVRICIVS SAXO,
S. IMPERII ROMANO - GERMANICI SEPTEMVIR,
ECCLESIAE EVANGELICAE PVRIORIS IN GERMANIA
OBEX ET VINDEX.

MEMORIAE
COMPOSITIONIS
PASSAVIENSIS
ET
PACIS AVGVSTANAЕ,

QVAM DICVNT,
RELIGIONIS SACRVM ESSE VOLVIT,
OMNIVM ORDINVM

MAECENATES ET PATRONOS

AD
ANNIVERSARIAM SCHOLAE LVSTRATIONEM
CRASTINO DIE
PRAESENTIA SVA COHONESTANDAM,

EA,
QVAM SINGVLIS DEBET, OBSERVANTIA
INVITANS

IOANNES FRIDERICVS LICHT,
RECTOR SCHOLAE CATHEDRALIS SLESVICENSES.

FLENSBURGI ET ALTONAVIAE,
SVMTIBVS KORTIANIS, ANNO MDCCLV.